Pan.
Mo-
raw-
scy
Dzie-
rzy-
Kraj.
et
par.
Choy-
na-
cki
1719.

1732

2

Wymiany od hr. Józef Tyszkiewicz 1902

n

M.
VVVV = 26
D
C
L L = 100.
IIII = 4.00
X
MDCCXXX (1730

FIRMAMENTVM
LUMINE SAPIENTIÆ
ORBEM CHRISTIANUM
EXORNANS.

Diviniſſimus

THOMAS AQVINAS.
DOCTOR ANGELICVS

Feſtivô ſolennitatis, & Sacrarum Jllius Reliqviarum Introductionis die.

Jn Celeberrima Conventûs Poſnanienſis Sacerrimi Ordinis PP, Prædicatorum Baſilica.

Doctiſſimis magnorum Hoſpitum Animis devoto Orationis Stylo

Per.

M. IOSEPHUM CHOYNACKI, in Alma Univerſitate Cracovienſi, Philoſophiæ Doctorem, & in Poſnanienſi Academia Matheſeos & Grammatices Profeſſorem.

Anno

qVo ráDIos CæLUM popULIs affIXIt In Urbe.

menſe

Dum ♒ſces Phæbus nitidis, luſtrabat in aſtris.

die

qUo præpes reparato Phæbe nItebat In Orbe

DEMONSTRATVM.

POSNANIÆ Typis Academicis.

IN AVITUM INSIGNE
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI
MECÆNATIS FAVENTISSIMI



ALLUSIO POETICA

I

Qvot Firmamentum Splendentia sidera monstrat.
Tot nunc Splendores Candidus Orbis habet.

II

Cæcultant verè crudelia plurima fata.
Sistit non stricto Fascia vincta nodo.

III

Umbriferas dispellit clara galaxia nubes.
Fascia Candorem cum gerit, atra fugat.

IV

Hæc Præcelsa Domus tenet eccur Cornua Cervi?
Protegit his Lechiam, pessima fata premit.

PERILLVSTRI
&
REVERENDISSIMO DOMINO
D. LEONI
Dzierzykray de Chomęcice
MORAWSKI,
Juris Utriusq; Doctori,
CATHEDRALI POSNANIENSI & CAMENECENSI
CANONICO,
Publicarum Perauguſti Capituli Cauſarum Procuratori Generali.
Oſiecznenſi & Modrenſi.
PRÆPOSITO
DOMINO PROTECTORI & MECÆNATI
GRATIOSISSIMO.

EXtrà paradoxum; ceu præter admirationis notam eſto, quòd Tibi magnanimo re & nomine *LEONI Firmamentum* Doctor Angelicus THOMAS ſine mora, præſentis anni curriculo, ab aſtronomica rationis admoveatur Orbita. *Perilluſtris & Reverendiſſime Domine Domine Protector & Mecænas Digniſſime*. Summis etenim correſpondent prima, Fortibus ac magnanimis attribuuntur maxima, probis proponuntur Optima, & altis ingenio, non elatis Atlantibus, qualem Temea veneratur propenſio, nonniſi præcelſa demonſtrantur. Summus in Sarmatico videris orbe, quia *LEO*, cui non tam terreſtris Significatum animalis, quàm potiùs cæleſtis ineſt Conſtellationis denominatio. Primum THOMAS Diviniſſimus tanti Luminaris dicitur Deferens benignioribus ejuſdem radijs, totum exhilarans Univerſum. Fortis & magnanimus ades omnibus ſub *LEONIS* Ethymo Mecænas maxime, Doctor Angelicus *Aquinas*, eximius invictorum ingenio viro-

rum

rum Coryphæus eos nonnisi ad latus Angelicum requirit Athletas, quos nec feroces fatorum superant insultus, nec furor Eumenidum vincere valet in adversis. Constantem Lechia videt Te in Virtutibus *LEONEM*, ad Tui præsentiam, atrox infortunæ mitescit malignitas, ad majestatem quoq; Personæ, horrenda vitiorum fugiunt monstra. Sæva Cybele furiosas non audet concitare minas, extra Thulen & Garamantas, maximâ *LEONIS* Authoritatem animadvertentes recedunt Furiæ, feroces Nominis Tui resonantiam percipientes formidant, imò semimortui corruunt Hippocentauri. Insuperabiles perite Bellerophontes, defficiatis fortitudine Brontes, velut invicti stantes procidatis Steropes, viribusq; orbati nunc desperate Enceladi. Adorat Sarmatia, excelsum Animo & robore *LEONEM*, ab Isto Ecclesiæ decus, Patriæ Subsidium, & Lechæis dependet incolis ornamentum. Fortissimo Lacedæmon j lætentur Leonide, Codrum comemorent Athenienses, Neoptolemum revereatur Troja, Achillem Græcia, Epaminondam Thebæ, Romandiola Æmilianum, Macedonia Alexandrum, millenis encomiorū describant apotheosibus: nostraq; Polonia, Vladislaum cum Crivousto, Pudicum cum bonis Lesconibus Jagellonem ac Sigismundos, in æterno imortalis Famæ, collocet Colosso, vel Summâ Illorum Nomina celebret adorea: meæ clientali satis erit ad gloriam submissioni, dum Te honorificum, Te unicuiq; gratum, Comem singulis ac affabilem, æquanimē in probitate *LEONEM*, Sarmaticæ sub *Firmamento* THOMA manifestabit Regioni. Comendat Magnatibus Tuā illibati Candoris præstantiam Regina morum modestia, ferventissima erga DEUM pietas, æstimationem adauget, mutuusq; inter pares affectus, gratissimam attribuit Comitatem. Svavissima oris Tui ambrosia, in *Leonino* Animo, Hortensium, in præcelsa *MORAVSCIORUM* etymologia, non amarum eloquio Maronem, & Nobilissimum Virtutibus Persium repræsentat. Congratulantur fidelissimi Nomini Tuo Achates, laudandorum excellentiam actuum, Sibi vero invident, quòd eâdem; quâ honorifica Personæ Tuæ Majestas, nō exuberent gravitate. Hoc primo adscribis Honori, DEUM ubiq; venerari ac revereri præsentem. Nihil subdoli & apparentis adoratoribus Tui Nominis remonstras, præter rectitudinē; nihil fictitij *DomusTuæ* Cultoribus explicas, præter liliatū cordis Candorē, & Verecundam mentis puritatem. Minimè aberrabo, & si Te Sarmaticum omni virtutū genere excultū nominavero Numam: cujus labia nonnisi Cælitûm elogia formant, & Sensus ascetici, ut Cælo terrisq, placeant, Sacratos placant Manes. Exultat Lechia non invidet, dum Te videt à Polo ferè missum in terras Averruncum, hoc est pravorum exterminatorem excessuum, & optimarum propagatorem Actionum. Aureæ *Petri* Claves candida pectoris Tui referant Penetralia, & illa immensi verum esse ærárium Thesauri indicant, Teq; vigilantissimum istius gazophylacij præponunt luci publicæ Argum. Vidit Septicollis Tuæ authoritatem Personæ Roma, nobilissimoq. in ea cognito ingenio, Doctoralem Juris emerito Capiti imposuit Lauream. Nulla hîc admiratio legentibus esto, licèt Gentilitia Augustæ intra Lechiam Domûs *Fuscia*, in virentem sub

Capi-

Capitolino Jove mutata coronam: nam ita conveniebat, ut florentes nivea Vitta præcingeret Corymbos. Eximium Cathedra Posnaniensis prudentissimo Ingenio pollentem colit in *LEONE* Consum, cujus publica in causis promovendis non vilitatConsilia,sed velut Delphici Tripodis æstimat oracula. Mordaci labio, nullus *MORAVSCIANAS* Virtutes audet lædere Momus, nulli Pseudopolitæ, mimi & morologi imprudentia coram Te Ingeniosissimo Tymæo nectunt ore colloquia. Confundit verecundus obscæna vitiorum monstra *LEONIS* vultus, frons generosa Machiavelicos ferit genios, & pulcherrima morum idea, idola nefandæ turpitudinis detestatur. DecoroApelles purpurisso Cōstantiæ etsi depingeret imagines, etsi venustā Protogenes coloraret modestiæ effigiē cerussa, imperfecti Artis suæ supponerentur Magistri, ni lucidissimam probitatis Tuæ admirarentur speciem. Multum æstimanda, auro cedroq; notanda advertitur *LEONIS* excellentia, quæ non Laudatores,sed potius adoratores, an admiratores reposcit. Excelsum cujusvis eminentiæ Fastigiū, Gentilitia circumducit *Fascia*, humi non protenditur, sed Sum̄um celsitudinis obligat Apogæum. Clarissimè nitentia, rectissima via Phœbi Zodiacus, quot præfert & continet Phænomena, tot Vittatus *Illustrissimorum MORAVSCIORUM* Orbis, in Zodiaci normam distensus. Ecclesiæ & Patriæ proficua enumerat Luminaria. Minutæ in galaxia stellulæ, telescopio, abAstronomorum non sunt inquirendæ peritia. Candidissima *Domûs MORAVSCIANÆ* Sphæra, clariora galaxiâ Signa, ceu Sidera primæ producit magnitudinis. Inter certa Æquatoris puncta nitescens commorando Titan, nocti æqualem efficit diem. Niveum *Illustrissimæ Domûs* ac si Æquatoris circulum, purissimum dum respicit Cælum, eo instanti, cuncta fatorum cedunt nubila, faustiq; sine noctibus in æquilibrio dies inclarescunt. Designat meridianus verum meridiem Circuitus; Gentilitia Magnæ Domus *Fascia*, ad meridiani modum elongata, media in puncto felicitatis dilucula Polono denuntiat Horizonti. Toties in constanti prosperitate, optimum Lechicæ Aurea Navis Reipublicæ attigit Promontorium, quoties Avita pro velis Tæniâ, Polonorum usa est Æmilianorum. Intra albicantem pulcherrimæ *Fasciæ* Orbitam, herculei latitant animi, ceu Sphærica ejusdem figurâ, Martia exprimitur fortitudo. Inest cognatum *Fasciæ* à Fascibus cognomentum neq; realem veritatis hæc assertio excedit sensum: semper enim gratissimum Regibus hoc Insigne, Principibus commodum, ac Regni Proceribus acceptabile, comprobatur. Tulerat in victimam tremendo Marti Fasciam, superatô terror orbis Alexander Dario, vittaq; plurimum ornatâ vinctus, in Peraugusta reducebatur Panthea. Cinxerant antiquiores Monarchæ, non diademate, sed Fasciâ frontem, fasq; profitebantur maximum, dum Fascias in gloriosum habuere Signum. Insuperabili Tigranes Bellatori Pompeio, Fasciam laceravit in applausum, hanc victor laudandus assumptam Palladis Aræ appendit. Allegorica per similitudinem de coronatis temporibus quod infert ratio, hoc totum sine amphibologia dicitur de Nobilissimo Aborigene Tuo, *Avo* nimirùm dilectissimo

PAULO Dzierżykray de Chomęcice MORAWSKI Polono Epaminondæ: quem pietas Superis amabilem, justitia terris æstimabilem, & heroica dexteritas Patriæ reliquit adorandum. Contra modestiæ peccárem regulam, si laudandam *Perillustris DOROTHEÆ* Celeberrimâ *KACZKOWSCIORUM* ortæ Prosapiâ *Avia* Tuæ reticerem probitatem; tantùm etenim Polona Amazon, amplæ decoribus inclaruit Lechiæ, quantùm Septicolli Romæ, Quirina Virtutibus inclaruit Camilla. Æternum immortalis Famæ Colossum, Perillustri ac Magnifico *Domino STANISLAO MORAWSKI Patri* Tuo exstruat Sarmatia: prædicet Poloni Benefacta Scipionis, enarret dexterrimi pluries ad publica Comitia electi Comitatem Mareschalci: ita optimè gloriosum Sarmaticus absolvit Honorius officiũ,ut alijs utilitatē,Sibi vero Honorē& gloriā ex prudēti causaverit in negotijs moderamine. Verè fortunatus Eques in Sarmaticis oris videbatur *DZIERZYKRAIUS*: quidquid enim gesserat, Virtutis erat, quod consuluerat, velut Aristidis obsevabatur effatum, quod evitare proposuit, hoc tanquam Secundi Leges Lycurgi, fuerat custoditum. Meretur optima de laude, *Magnifica THERESSIA* Sarmatici Africani*Perillustris& M: Domini RAPHAELIS OBIEZIERSKI* Budgostiensium Zupparum Præfecti Filia, amantissima Mater tua. Heroina ista antecellit Romanas probitate Anias, morum elegantia superat Pandoras, dexteritate animi confundit Tomyrim, pietate Zenobijs præest: & Aspasijs. Post revisam *Illustrissimorum OBIEZIERSCIORUM* Prosapiam, iterum lectissimi Parentis Tui Fratres occurrunt animo adorandi. Non ita Titan Cælos, jucundi viridaria flores, Stephanomata ornant adamantes, ut olim Lechicum Orbem Gentilitiæ candore *Fasciæ. Illustrissimus Dominus JOANNES Dzierzykray de Chomęcice MORAWSKI Castellanus Premetensis* cum *PAULO MORAWSKI Vexillifero Inowladislaviensi Gniewkoviensi & Lelovienſi Capitaneo* adornârunt. Commendavit dexteritas magno Ephestionem Alexandro, Zopyrum Dario amandum, imperterrita reddidit potentia. *JOANNEM* vero *MORAVSCIUM* in tantum Comitas morum Serenissimo Sarmatarum *Soli JOANNI* III. exhibuit gratiosum, quantum fulgor auroræ terris accrescit acceptabilis. Evolvit Tænſpublico Horizõti, Præsuleum *Illustrissimi & Reverendissimi Domini STEPHANI MORAWSKI Cujaviensis Suffraganei* ethymon, ut noscat posteritás adamantinam in *STEPHANO* viguisse virtutem. Extollit sub æthera Inovladislaviensis Diæcesis, non ipso Nomine, sed sacra coronatum Eminentiâ Virum, amplissimis exantlatos circa sponsam CHRISTI Ecclesiam labores inscribit Fastis, revolvit piissima Præsulis merita, & verè infulatum, non fastu inflatum Caput, Pontificia redimiti Vittâ veneratur; nec sinet venerari Aaronis Momenta horis, horæ diebus, dies Sæculis, Sæcula ævo, heroicos *Perillustrium ac Magnificorum Dominorum ADALBERTI & JACOBI MORAWSCIORUM* Patruelem Consangvinitatis lineam ad Te *Mecænas* dignissime protendentium enarrant actus. Certarûnt more strenuorum pro Patria Curtiorum, martiales non metuendo flammas: ut etenim ab in-

ab infeſtanti fatorum ferócia, eliberarent Rempublicam, toti ſe Gradivo ac Bellonæ in obſequia dedicârunt, conijcientes majorem in haſtata Gradivi Sylva Honorum cum triumphalibus laureis excreſcere meſſem quàm in arena quieſcentium. Aſſurgunt bini *Illuſtres* Tyndaridæ, optimo Patriæ Solatio, Senatorijs benè apti Faſcibus, primum Conſangvinitatis gradum *Tecum* Protector digniſſime attingentes, *JOANNES & ADALBERTUS MORAWSCII* ceu duo Faſciati Heroes, quorum eximia virtus, mortiferum pellit Eumenidum virus, bellicum animi robur, robuſtos reddit Sarmatiæ incolas, & martialis indoles, inſperatos removet Furiarum inſultus. Talparum methodo, atroces cum minis peribunt Sphynges, binione Fratrum Tuorum Gentilitiam in Subſidiũ Patriæ Faſciam enodante. Meduſæi ignem iracundiæ elicientes cæcutient oculi, candidam binis Heroibus Tæniam explicantibus. Liberã à periculis *Illuſtriſſimam Domum*, fortiſſimi ſervabunt Timoleones, neq; Tænariæ apparebunt tenebræ, puriorem nive è *Faſcia* Splendorem, Lechæis ſpargentibus Flaminijs. Diverſos & apparentes in Iride intuentur pupillæ colores, *Moravſciana Faſcia* nonniſi alborem exprimit, quo liliati Hectores *MORAWSCII* adornantur, ut ſpecioſior Reipublicæ Salus, in Nomine Faſciato præſervetur. Virete ergo Summa ſub Faſciato honore Nomina, fauſta felicitatis omina candore Gentilitij Inſignis, Polono diffundentes hemiſphærio. Majorem adhuc *Faſciæ* præeminentiam, ut Sarmatica admiretur regio, annexas *Illuſtriſſimæ Familiæ Domos* ſubſequens explanabit deſcriptio. Non terris tantum decor *Faſciæ* gratus, etiam Cælorum domicilia, mirifica *Faſciæ* lætantur elegantia. Benigno; ſi iterum extra Polos contingeret in cunis vagire Jovi, certò pro faſcijs, *Gentilitiam Domûs Illuſtriſſimæ* aſſumeret *Faſciam*. Non amaræ faſciculum myrrhæ, Avita præcingit Vitta, ſed dulciſſimæ favum conſolationis circumvolvit. Reſolvit quondam Macedo Gordios mucrone nodos, Gentilitia nobiliſſimorum Equitum *Faſcia*, ideo nervoſis deficit nexibus, ſed libera palam efficitur, ut benè quiſq; Sarmata auſcultet, Clypeatos *Faſciâ* evolvi Ajaces, & reſolutos comprehendi Decios. Porro *Faſcia* hæc non Sola complectitur Nomina, ſed innumerabiles Colligatarum Gentium & Familiarum myriades deſcribit. Clareſcunt ſub velamine dealbatæ Tæniæ, ſimulq; publico patent ſoli, Scuta Lechicum protegentia Imperium, Patriam Conſangvinitatis exornãtes Arborẽ, Famâ & fortitudine inſignes, CZARNKOVII, POTOCCII, SMIGIELSCII, MIASKOWSCII, KRZYZANOWSCII, MIELZYNSCII BELĘCCII, KACZKOWSCII, SZCZURSCII, KOSZUTSCII, WILCZYNSCII, NIEZYCHOWSCII, KOŁACZKOWSCII, GOLINSCII, BLOCISZEWSCII, & ſexcenta alia magnorum Heroum Nomina, quorum celſitudini deſcribendæ, nec ampla Maronum Æneis, nec Liber Faſtorum ſufficeret. Deformem vitij non evitarem notam, ſi præcelſa Lechiæ *Decora* maternam illuſtrantia Propaginem alto præterirem ſilentio, Allucent Sarmatiæ ut pretioſiſſimæ Gemmæ OBIEZIERSCII, nitent purpureis velis in *Domo materna* PONINSCII & ROKOSSOVII,

 adhi-

adhibent majeſtatem fortiſſimo *LEONI*, SZOŁDRSCII; *CHOINSCII*, *GAIEWSCII*, SKORZEWSCII *&* SOBOCCII, attribuunt præſtantiſſimam *Moravſcianæ Domui* Honoris præeminentiam KOCZOROWSCII, *TWARDOWSCII*, KWILECCII, *TRAMPCZYNII*, KARSZNICCII & millena alia Orbis Sarmatici Ornamenta, *Faſciam* plurimùm æſtimando adorant. Terminum dicendi aggresſurus Tuam adhuc Protector faventiſſime profundo cultu venerabor Eminentiam. LEO licèt nomineris, non tamen Cultores à Tuis beneficis cum terrore alienas Plantis, eo ferè modo, ut nitidus Titan athomos, aut ſuccinum paleas, ad Tui Nominis magnificentiam trahis Clientes. *Ignoſce Mecænas maxime* etſi vilis meæ rationis orbita, *Firmamentum THOMAM* Tibi benevolo admoveat Jovi: ita etenim convenit, ut non alij *Firmamentum* ſequantur Planetæ, niſi Joves. Juſtè ad fortiſſimum, *Firmamentum Aquinas* revolvitur LEONEM, nullâ verè placidiori delectatur Phæbus ſiſtentia, quàm in LEONE, nullam gratiorem *Firmamentum* mittit in terras influentiam, quàm à LEONE. Exhilarabit *Firmamentum Aquinas* radijs ſuis Orbem Chriſtianum, & LEO Cymmerias infortuniorum noctes removebit. Indies fortunato curret *Firmamentum* progreſſu, LEOq; fauſtiſſimos ab iſto Dio procesſus derivabit. Plane tamdiu *Moravſciana* perennabit Fama, quouſq; *Firmamentum Aquinas* ordinarium non deſeret curſum. Sed movebitur *Firmamentum Aquinas* in æternum! *Faſciata* etiam *Illuſtriſſimæ Domûs Orbita* perennes *Firmamento* favente indigitabit circuitus. Vivet LEO digniſſimus longævos in annos rectiſſimo *Gentilitiæ ſphæræ* ductu, feliciùs quàm Ariadnæ filo, ad celſa Dignitatis ducetur Penetralia. Colliget nobiliſſimâ *Faſcia* Præſuleos Honorum Faſces, Imo *Faſcia* hæc Infulas cum Cháritum favoribus, ingenioſiſſimo attemperabit Fidio, & in faſtigiatum cujuſq; Celſitudinis Apogæum, ſivè ad Appiam Titulorum rectiſſimum aperiet *iter*. Ut tamen fideliori ſinceritatis Gentilitiæ *Faſciæ* applaudam hecatombe, votivis concludam poematibus: *Faſcia purpureis nitcat connexa triumphis. Attingat felix culmina celſa precor.*

Devinctiſſimus Nominis Tui Adorator

Operis Author.

ORATIO.

TAntiſper ſpatioſa terreſtris hemiſphærij orbita, á primo ſtatim exortu; univerſa ad Prothei normam mutabilia, ceu verſicoloris ſpeciem chamæleontis imitantia; demonſtrat evidenter. Doctiſſimi A A. Quotidiana in rebus experientia, humanum edocet intellectum, vaſtiſſimam mundi totius ſuperficiem, nihil firmi intra latiſſimos continere circuitus, quod per numeroſas annorum myriades, maneat incorruptum. Advertimus ſinguli diverſos ſtatuum ordines, continuos ærumnarum circumducere cum metu motus, obſcuram velut fumus evaneſcentis gloriæ lucem, pellucidæ viventium intuentur pupillæ, nulla degit æviternè radians honorum flamma, ſæpe fatui ignes fatorum accenduntur, frequenter ferales conſurgunt Cometæ, pallido tenebrionū colore faſtuoſos denigrando Flamminios. Probabile eſt, albicantem violento caſu labi cytinum, incanas brumæ algoribus decerpi cytiſos, nigraq; ſæpius colligi vaccinia, quàm immortales amaranthos. Roſei Abſalonum vultus, vulnera mortis referunt, venuſtæ Ganymedum genæ, cum gemitu informes Turpionum aſſumunt formas, peſſimoſve in pulchritudine ſua, patiuntur defectus. Cenſent alij ab excelſo

dignitatis apogæo, omnia poſt terga exulâſſe fata, ambiunt ſummos excellentiæ gradus; ne ſublimiùs elevati, quod rarò evenit; tangantur à miſerijs. Periculoſæ plenum opus aleæ, ſublimes Periandrorum tractant ſenſus, citiùs blandum inconſtantiæ ſequuntur prototypon, quàm rectam veritatis ideam. Docilis Xenophontum ratio, facillimè difficili errorum inhæret Labyrintho, acuminoſa Stoicorum ſolertia, callidas non evitat fallacias, & grande Timæi ingenium, timori obnoxium proclamatur. Solus Doctorum Sol THOMAS, abominabilem Morphei effigiem, nec vertumnam Geryonis imitatur figuram. Plaudendum an etiam plangendum cum Thebanis, quibus toties gratum erat, novos adinvicem cum lætis ſalibus, gratulari Soles, quoties de ſpumanti adverſitatum emerſerunt latice. Lætiores Etheſiæ Sanctiſſimum circumflaverunt *Aquinatem*, cujus incorruptæ annorum auræ, favore cæleſti repletus, ac rore benigno plenus famulabatur, & hucuſq; famulatur Æther. Spatiatur per ponderoſam telluris molem, veram ab humo affinitatem ducens humanum genus, vitam cum periculis, an potiùs piaculis commutando. Modicum prodeſt, licèt cum mira fragrantia, verni ocellis arrideant flores, dum furenti algentis Boreæ impetu ſucciſi, brevi quadrantis interſtitio emarceſcunt. Turgeſcunt Regnorum turritæ baſes, at rabida Borrholybici attritæ ferocia, corruunt momentaneè. Arcent Memphyticas arces feroces Eoli, Rhodij ſolo æquantur coloſſi, Joves infortunijs involvuntur, Marteſq; tremendi, mortem ſpirant. Maxima Abderidum evaneſcunt æraria, inopes fiunt Ditis opes, fallax Polycratis felicitas, ambiguis inſiſtit paſſibus, & manet in nullo, certa tenaxq; loco. Planè quodcunq; planiſſimus ſublunaris amphitheatri comprehendit ambitus, hoc totum mutabile extat, ludibrioq; nefandæ incumbit ruinæ. Quouſq; tandem avida parens temporum malignitas, deplorandâ terrigenas torquebis jactura, quouſq; efferatam exercebis licentiam, quouſq, impia ſub dulci melle venena occultabis, vel plurimis cum dolore dolis, vivens mortalium inficies genus! Ergone ordinarij in Planetaria regione ceſſabunt motus? etiāne

dire-

directi ad arctiſſimam carceris Domum declinabunt Planetæ? an ſtellatũ fauſto progreſſu privabitur Firmamentum minimè! Aliud adinvenitur primum ſine omni metaphora Doctor Angelicus; Angelica ratione trutinandum mobile, imò prænobile Sideris Dominicani Cælum *Aquinas*, Splendore Sapientiæ undiq; circumductum. Proceſſus Dii iſtius, elegantiſſimam rectitudinis ſervat amuſſim, tam juxta profundã Angelicæ mentis ſubtilitatẽ, quàm ſecundũ immensã, Theologicæ Doctrinæ magnitudinẽ obliquitatis, retroceſſionis, ſeu juxta proſperam ſignorum ſucceſſionem retrogradæ circulationis expers. Cælum hoc, illam excludit mutationem rerum, quæ laudanda æternitate carent, alios in mobilitate ſua deſcribit eccentricos, diverſám in curſu manifeſtat qualitatem, nec eum; quem mundus cauſat, producit effectũ. Cælum hoc nunquam celatur, nonniſi clarè nitentes retegit ſtellas, lumine inextincto, hyſpida aſe nubila propulſantes. Pridem puriſſima velut de Firmamento, Doctore nimirum Angelico erumpunt Phænomena, ſubtiles Superorum animos, & devotas Cælicolarum animas, flagrantibus Divino amore radijs delectantia. Motrices Intelligentiæ celeres rationali imperio, quomodo dirigerent Polos, non eſt quæritatus THOMAS, ille ſolus Doctoralis Phæbi lucidiſſimus manendo Polus. Novus ſanctitatis & Sapientiæ Archimedes THOMAS, in ſpecioſa candidi cordis ſym̃etria, expreſſit omnẽ Cælorũ proprietatẽ, ut perpendant mortales magis honorificã THOMÆ Perſonam, celſum tangere poſſe Olympum, quàm terrena. Angelico THOMAS Diviniſſimus non ſcrutabatur conceptu, quânam via, de infima mundi valle, ad aſtriferam currendum ſedẽ, Ille prodromante Dominici Aurora, optimus ad calcanda ſublimia Mediator, ille primum Deferens luminariũ, & vera cujuſq; Proſtaphæreſis appellatur Eminentiæ. Abeſte tenebris errorum involuta idiotarum ingenia, THOMAS, Sanctior orbis Chriſtiani Illuminator, admiranda in dole, Altum creatæ indicat Sapientiæ. Abeſte Solonum eruditæ mentes, THOMAS illuſtriſſimis Sacræ eruditionis radijs meram diem, ceu meridiem efficit tanquam in medio

Cæli. Extra igitur admirationis notam præclaro Scientiæ jubare, illuminati Auditorum hæreant Animi, licèt THOMAM Diviniſſimum V. militantis Eccleſiæ Doctorem, *Firmamentum* lumine Sapientiæ Orbem Chriſtianum exornans, ulterior dictionis explanabit apparatus. Firma Doctor Sacerrime Tui Adoratorem Nominis, ut elegantiùs, ore imbelli publiceris *Firmamentum*. Antequam in fortunatum *Firmamenti* motum convertero mentem, priùs ad veſtri medium favoris Doctiſſimi recurram AA, ut dicturo; benevolos cum attentione animos præbeatis.

ASTrologiæ Diagrammata,& authentica Cæleſtium Scriptorum teſtatur hypotheſis, convenientem *Firmamento*, ab immota firmitate denominationem ineſſe AA. Laudandum equidem nomen, à proprio, ſimili, vel accidenti quocunq; omne derivat opus. Acquirunt animantia quævis, certum à convenientibus naturæ ſignis cognomen, recipiunt ſignificatum, albicantia ab illibato candore lilia, violæ ab inviolabili odore, humus á denſis humoribus, furiæ à furore denominantur; ferrum à feriendo, urbes ab urbanitate quadam, animalia quoq; ab anima ethymon ſortiuntur: quinimo innumera terraqueæ planitiei contenta ab evidentibus cauſis ſignificativam recipiunt vocem. Suprema quoq; Cælorum compages ſolido inhærens axi, quum exactè orbibus dialem peragit curſum, prius à determinato lineas elongat principio. Octava ſtelligeræ ædis Sphæra, quam Aſtronomica *Firmamentum* appellat inſtructio, à polaribus Eccliptlcæ punctis, lentum inchoat paſſum. Circa globoſum terræ pondus citis maximi Trigonocratores volvuntur rotis, nec præſcriptos curſu tranſgrediuntur limites, verùm ad illam de qua proveniunt, redeunt originem. Allegorica de Cælis quodcunq; per ſimilitudinem ratio concludit, hoc totum de Sanctiſſimo *Aquinate* ſine amphibologica verificatur differentia. Nova tenellæ Ætatis aurora vix THOMÆ affulſit, aurei eo inſtanti ſplendores fortunæ, Divum circumdedêre Infantem: quinimo latepatenti THOMAS nondum benè innotuit Univerſo, jam titulo *Firmamenti* ab illuſtri Fama, fuerat inſignitus. Illuxit tandem

dem Orbi *Aquinas*; ſecundis in exortu auſpicijs, utq; cæleſte tempore quovis præferret lumen, ſignificationem *Firmamenti*, magno adhibuit Nomini. Applaude Chriſtianitas, applaude! THOMAS Diviniſſimus Aplanes exiſtit, bonum futuræ felicitatis in exordio declarat omen, proſperos promittit eventus, & benignioribus influentijs, tremulas mæroris nubes, diſſipare paratus. Beatus ille dies, q̃uo Patriũ Syciliæ Solum, & amplũ ejus Horizontẽ, lucidiſſimis *Firmamentum* THOMAS, illuminavit parallaxibus. Flebiles hyadæ, non amplius turbidas contrahent nebulas, *Firmamentum* THOMAS, ſerenam malis temporibus dabit malaciam, & tranquillum exoptatæ proſperitatis inſtituet ſudum. Atticæ jam perite noctes, THOMAS, inceſſanter lucens oritur *Firmamentum*, non deficientes igniculorum eliciens ſcintillas, non micam diaphanæ lucis concitans, verùm inextincta primæ magnitudinis præferens Luminaria. Præbuit quondam Princeps Deorum Lucerius communem vivendi populo lucem, clarior ætatis ſuæ Lucerius Parens THOMÆ *Landulphus*, hic non ſolam gratiſſimæ Proli addidit lucem, at *Firmamentum* THOMAM, ſacro lumine plenum, ſine aporia publico repræſentavit orbi. Floruit clariſſima Deorum mater Berecynthia, quòd in materno hoſce deliciosè educaverit ſinu: longè præterito famoſior ſæculo viſa eſt Lucina THOMÆ, ut altera Cynthia, donũ Dei *Theodora*, quæ nõ inſolẽti Mercurio, nõ ſangvinolento Marti, nec adverſario humani generis Saturno, aſt illuſtriſſimo iter ad gradiendum præparavit *Firmamento*. Fabuletur utcunq; antiqua poſteritas, coruſcantia in juveniles Herculis cunas ſidera decidiſſe: quid profuit illorum nitor aſtrorum, ut umbra ictu oculi evenaſcens, tantum in ſe valoris, ùt fumus, vel atra continuerat fuligo. THOMAS nativo præcelſæ *Aquinatum* Domûs ſplendore, paternos à primordijs cùm illuminârat Penates, illico tota illuſtrior Sycilia, & celſior Regum Aragoniæ Familia, in lumine *Firmamenti* eſt proſpecta. Citiùs fulminanti evanuit fulgure frontem naſcentis Servij circumnectens fulgor: *Firmamentum* THOMAS, poſtquam omni cum luminaribus

incla.

inclaruerit Orbi, nec opulenta Danaes extingvi procellâ, nec caliginosa pallentis invidiæ obtenebrari fuligine, neq; lethæo obrui poterat profluvio. Peregit fortunatè innocentis infantiæ cursum THOMAS Divinissimus, puellus dum adhuc vagiret, maturam canorum eloquebatur virtutem virorum, quot stillantibus lachrymis,& manantibus de fonte oculorum guttis,pueriles circumfudit genas,tot exquisitis tempora Achillea coronavit gemmis. Nulla in virenti THOMÆ pueritia ascendit aurora, quæ optimos de elegantissima morū *Aquinatis* compositione non protendisset successus: nulla dierum præterivit claritudo; quæ ferventissimum erga Cælites in corde Aquinatico non accendisset amorem. Nascuntur sæpenumero portentosa in domo splendorum Parhælia, animum cum viribus ferientes effervescuntCometæ,THOMAS nobilissimus de celsissima *Aquinatum* Prosapia virtutum Comes non Cometes Christiano postquam apparuit mundo, januam cuiq; ad constantem aperuit prosperitatem. Cede hinc, cede quantocyus vitiosa Jxionum velocitas!*Firmamentum* THOMAS,fatifera revolutione carens,nunquam ad gelidam vitiorum flectitur Rhodopen,nunquam mundissima virtutum cynosura,severam criminum intuetur censuram, de hac tantummodo reprehensionis THOMAS Divinissimus meretur nota,quòd purissimam innocentiæ testem,de nube modestiæ dispersérat nivem. Antipodarum licentiose Mercuri nunc visita oras, retrocessione tua *Firmamentum* THOMAM ne infestes. Solidus est *Aquinas*, & licèt moveatur, nefandos tamen excessuum abominatur anfractus. Quare rapaces erebi vultures, atroces cum insidijs contra tenellum THOMAM vibratis palpebras, mitissima columba est *Aquinas*, felle caret, iram non fovet, nec ferociæ æstuat bili. Nimbosæ Plejades, quid mæstarum disseminatis copiam pluviarum, THOMAS à quopiam fluctivagæ cupiditatis naufragio securus, insanam nequitiei removet tempestatem,ùt *Firmamentum*. Pallent plerumq;& plorant nefastos ominatura occasus infixa Cælis palilitia; THOMAS ad incepti vum innocuæ ætatis diluculum, æstuans sceleribus est abomina-

ominatus incentivum, ſerenum probitatis mane indicando: Radiantia ſidera, teſtes intendite oculos, & attendite *Firmamento* THOMÆ, omnem perfectionem; reſpondere. Rigeſcens non plus ultra progrediare Bootes, formoſe deſine lucere Hyperion, *Firmamentum* THOMAS, luce probitatis, diaphana; quotcunq; numerantur confundit luminaria. Pumilli in teneritudine THOMÆ de labiis ut primùm ſtillârunt, dulciores nectare torrentes, illicò Gentilitius *Aquinatum* Amnis, apprimè in cæleſtem mutatus Eridanum: convenientiùs namq; in *Firmamento*, cryſtallinis manare rivulis, quàm humi manere. Attentavit *Aquinaticas* ſitibundus averni Neptunus undas, Stygijs corrũpere nymphis, at fruſtranea eluſus perfidia, fætido barathri immerſus mari periit ſuffocatus. Non periit THOMAS, ſubvenit multoties intaminato Virgo innocentiſſima MARIA Angelo, & nè *Aquinas Firmamenti* mutaret nomen, primitios à Virgine elevationis gradus peragravit. Eſto pro majori Auditorum Animis documento Angelicum *Aquinatis* Ave, ſvavi teneris ejus oribus abſumptum baſio. Illud venerandum Ave, deplorandum væ à mundis THOMÆ exterminavit pectoribus, illud Gratiarum fontem infantilibus inſtillavit labris, illud *Firmamentum* THOMAM, Literis confirmavit Sacroſanctis. Reſeravit voracem cruenta erebi hydra mandibulam, ut THOMAM dulciſſimas Agni Immaculati cupedias, inſatiabili abliguriſſet gutture; nec tamen famelicum ſatiârat appetitum, quia ad fortiſſimi de Tribu Juda Leonis in *Firmamento* aſpectum, ferox occubuit fera. Pro admirabilis THOMÆ revolutio! heu glorioſa pietas! o feliciſſimũ, *Firmamenti* proceſsũ in rectiſſimas virtutum Semitas declinantis. Forſitan ergo ille THOMAS, quem præſes Parnaſſi Apollo, dulci ad fontes *Aquinaticos* impotavit Hippocrene, quem odoriferæ Hortenſiorum enutrivêre Roſæ, & ſvaveolentes Tulliorum coronârunt flores, vel blanda Demoſthenum pavit ſufficienter ambroſia. Ita eſt! iſte THOMAS, verus virtutum adamator, fervjdus literarum Aſcanius, quem non tàm erudiverunt, quàm potius adoraverunt Præceptores. Miraculoſũ

THOMÆ ingenium, quinqvennis in monte Cassino musas coluit, & mente Olympum ùt alter magnanimus tetigerat Hercules. Inter maximos Doctores, juvenilis THOMÆ indoles primatum tenuit, imò subtili Angelicæ mentis acumine, splendiferam Beatorum sedem, nempe Empyreum penetravit. Immensa verè abyssus THOMAS sacræ eruditionis, cujus profunditas *Firmamenti* comparatur Eminentiæ. Abyssus THOMAS at illa, quâ Thesaurus infinitæ Æternitatis custoditur. Superbi eruditis tellus ponderosa Themistijs, ostenta subtilitate Themistocles, ingeniosos expone Theagenes, solertes publico certamini institue Theodotos, hæc nobilia Scientiarum subjecta, ignobilia sub umbris vecordiæ censentur objecta, titaneas de sacra eruditione reflexiones, *Firmamento* THOMA diffundente. Nulla gratiùs Literarum nota, eâ lætabatur *Aquinas*, quæ Dei Omnipotentis elogia formanda, & crimina præscripsit evitanda. Illud continuò discebat THOMAS, quod primo Doctorum Magistro placuerat CHRISTO. Antecelluit THOMAS facundum ore Hortensium, minimè amarum mellea svadâ superavit Maronem, zelo ac pietate sacro æquiparavit Apostolo. Gordios perplexitatum nodos, aut intellectus conceptum excedentia, quicunq; Ædipus non resolvit ænigmata, resolvit THOMAS, nervosam studiorum arcano inhærentem, quicunq; Xenophon non facilitavit difficultatem, facilitavit Doctor Angelicus THOMAS. Pridem obmutuisset Princeps Philosophantium Aristoteles, ni *Firmamentum* THOMAS lingvam ejus sale Eruditionis conditam, benignis refocillasset influentijs. Sufficienti verborum emphasi, non audent oratorum ora Thomistica in toto explanare attributa. Faciliùs exiguo Nilus clauderetur fonticulo, elephas in muscã, generosa quoq; in imbellem aquila mutaretur columbam, & *Firmamenti* encomijs vix initium foret. Igitur Beneacta Angelici Doctoris silebitne genius? omni pretio majus, cultu perenni adorandũ THOMÆ nomen non circũscribet elogijs? Credite AA. Si Divinæ Mentis Interpres negativum hac in causa formaret Argumentum, subitò pa-

latum

latum expallesceret, lingva ligaretur silentio, labia dictis fierent labilia, nec ordinariam ora promerent vocem. Permitte Doctor Sacerrime plus ultra in tuas dicenti excurrere laudes, *Firmamentum* enim lumine Sapientiæ orbem Christianum adornans ades certiùs approbandus. Adusq; honorifica cum Virtutibus THOMÆ deprædicata juventus, adusq; millenis describendæ fastis Ejusdem publicatæ qualitates in præsenti, mirabilis *Firmamenti* recursus imminet resolvendus. Insunt *Firmamento* duodena cum innumerabilibus astris signa, quorum inclinationem & proprietates, subsequens enarrabit discursus. Aries ordine primus, animal come bonum, simplex sine fraude doloq; Phænomenon hoc, ad Phæbi ingressum, diei noctem adæquat, calorem terris adauget, ac sereno jubare, quævis exhilarat animantia. Constellatio ista; non materiali, at mystico in pectore *Aquinatis* Soli, elevationis determinavit gradum;ac flammas Divini amoris in corde Aquinatico concitavit. Taurus norma fortitudinis, nullum fortiorem in *Firmamento* THOMA tespexit Herculem, molestum laboris jugum tolerante. Gemini optima temperamenti figura, geminatas in probitate vices, Doctorē Angelicū THOMAM erudivit. Cancer natura serenus, nullam in *Firmamento* THOMA, Sanctitate clarificato criminum spectavit turpitudinem, imò nullum ad repræsentandam in pietate tarditatē præbuit THOMÆ incentivum. Leo intensa ariditate sua, artus in laboribus Thomisticos, debilitare nequivit, ac terrere. Virgo tempestatū nuntia,pacatā contra peccata, formidavit conturbare auram, THOMAM non Virum solummodò castum, etiam mente puram Virginem advertendo. Libra manifestum mutationis indicium, immobilem esse in operibus justis THOMAM, demissa ponderavit bylance. Scorpius; furoris præses, *Firmamentum* THOMAM obscæno iracundiæ contagio, non fædavit. Arcitenens turbinum autor, crassa mæroris nube,nūquam obduxerat THOMAM. Insolens Caper frigoris causator,non canescenti pruina; aut glaciali nive,at vernis liliati candoris floribus, Divū *Aquinatem* respersit. Nimiæ humiditatis origo Amphora,

 defor-

deformem : ſcelerum anaphoram, iñ cryſtallina THOMÆ nõ reſpexit puritate. Turbatores clari ætheris Piſces, illā in natura *Aquinatis* alterationem effecerunt, quam continuus jejunij uſus, & aſſidua corporis maceratio, conduxêre. Sed quare cæleſtibus mens mea immoratur Signis? nonne præluſtris impreſſa fronti Dominicanæ Stella, ſufficientem lumine ſacro, dicendi addit copiam, in cujus ſplendore, ſatis eleganter THOMÆ claruerunt decora. Novum aſcenſionis gradum invenit, *Firmamentum* THOMAS poſtquam ſub Dominicano; veram obtinuerat Dio conſiſtentiā. Contempſit THOMAS mundi fallaciam, illudentia poſtpoſuit crepundia, inutilia levitati tantum faventia aſpernatus lenocinia, altiſſima honorum reſpuit culmina, maluit humilitatis quærere perigæum, quàm augem titulorum poſſidere. Comprêndit zeloſus Aſceta, lucidiſſimas Sacræ Religionis Umbras, ardens lucerna vel *Firmamentum* THOMAS, in medio an modiò Sanctitatis, & ſub accenſa Dominici excubitoris face, nominandus. Fauſto pede Neapolitana devotus Athleta calcavit limina, inſomnes pro communi Eccleſiæ Bono Sanctior Cleanthes THOMAS abſolvit excubias, pro molli culcitra lateribus, pro ſplendido Aureliorum apparatu, *Dominici* pallio, pro epulis, aut deauratis Luculli panibus, Pane Angelorum, pro opulentis Midæ, Cræſiq; ærarijs, ditiſſima *Dominici* contentus THOMAS egeſtate. Superas noſtri captum ingenij o THOMA Diviniſſime. Perauguſta Regum Aragoniæ Domus, inclyta Principum Siciliæ propago, prægrandis Comitum de *Aquino* Genealogia, nativæ Aborigenum tuorum Ceræ, certa tibi majeſtatis & eminentiæ promittunt ſubſellia, ad thronum immortalis famæ invitant, proſpera pollicentur, Summaq; Nomini Tuo debere; conteſtantur. Aſpernaris Doctor Diviniſſime, illuſtriſſimam *Aquinatum* Proſapiam, Superis voto obſtrictam ſedulo inquiris Familiam! quid eſt? nonne gratior titulorum ab Avis, Ataviſq; dimanans Splendor! nonne Oceanus aulicus, gangeticas cum cymmelis menſurat ſaburras, nonne Gentilitius *Aquinatum* Amnis, melleis deliciarum ſcatet fontinnalijs! religioſa verò obſervantia, rigoroſam vivendi

ex-

explicat regulam, distensa licentiæ disrumpit fræna, delicias excludit,& austeritatem acceptare demandat. Minimè prædictis consternabatur THO.MAS, libentiùs institutis *Dominici* parere studuit,quàm subditis imperare, placidiùs Divina censuit servare mandata, quam fraudulentæ servire vanitati, maluit humilitate inter pares certare, ut evidenter in virtute exaltatum orbi innotuisset *Firmamentum*. Audivit de pietate Mater *Theodora* THOMÆ, quam publicus divulgaverat rumor, ac vesano rancore correpta, DEO devotam odit prolem, clandestinas componit minas, ira accensas vibrat pupillas, &THOMAM nō Natum appellat sed hostē maternæ volūtatis profitetur. Minùs iratæ Matris ferociam apprehendit THOMAS, nec ampliùs *Theodoræ* verùm Sanctæ Matris Ecclesiæ prætendit nominari Filius. Neq; mollis verborum apparatus, neq; affabilis Fratrum persvasio, neq; horrida sororum adhortatiò, THOMAM à voto, & à tenaci poterant retrahere proposito. Fortissimus THOMAS exultat in adversis, non inimicæ tantùm Parentelæ, sed infernalibus furijs, vel Eumenidum amentiæ, resistere paratus. Ut tamen *Aquinas* iracundæ Matris evitâsset insidias, ex Neapolitano Horizonte, sub lucidum migrat Lutetiæ Polum. Obviat THOMÆ ad exterum venturo Solē binio fratrum *Landulphus cum Arnoldo*, ut Orestes cum Pylade, aut cum Polluce Castor: obviantes iracundiæ scintillis *Firmamentum* THOMAM afficiunt, ignivoma verborū cum verberibus fulmina jactant, decenti privant vestitu, fustibus ut latrones percutiunt, nō innocentē THOMAM, at ipsam ligant Innocentiam. Tanta nondum contenti injuria fratres, furunt ardentiùs contra THOMAM, ligatum novercæ non Matri adducunt, adductum carceri intrudunt, & intrusum diris non sinunt exacerbare convicijs. Eheu tygride pejorem Consangvinitatis ferociam, lividiorem aspide Fratrum malitiam! etiamne vulnera, cædes & latrocinia in Cælo grassantur, cicatrices & verbera infligun-tur? Ita est! Licèt *Firmamentum* THOMAS, non tamen a duodenis, primo vitæ; secundo Substantiæ, tertio Fratrū, quarto Parentum, Geminorum quinto, septimo Sponsaliorum,

Religionis nono, decimo Honorum Domicilijs, Sextam ægritudinis, octavam mortis, & duodecimam carceris tristitiæq; Domum, segregavit. Miramur tuam cuncti o Mater *Theodora* inclementiã, THOMAM incarcerare audes, certò Megæræ non matris nomen, retines hoc in ausu. An ignoras, *Firmamentum*, tremendos dracones, enecantem ipso aspectu hydram, venenatos angves, ferocem ursam, invictum Leonem, & insuperabilem in resistentiam, fovere Herculem. Mitis re vera THOMAS, quod eo instanti vindictam de *Theodora* non sumpsit, & justè; nisi materni meminisset amoris, injuriã vindicasset. Fratricidæ nõ fratres, THOMAM exacerbatis! attẽdite quis perversi affectus, erit effectus. *Firmamentum* THOMAS, non Gentilitio Amne, at immenso, æstuantem irâ fraterna Vesuvium Eridano, delere ac suffocare potest: ac nisi fraternam memoriâ tenuisset charitatem, in Neptuni holocaustum, inimicos misisset fratres, Fuge fædissima Medea, *Firmamentum* THOMAM, in Domo carceris umbris nequitiæ deturpare anhelans, clarissimum *Firmamentum* THOMAS, igne criminum exustos reijcit titiones, etsi aliqui in ejus accenduntur præsentia, intereunt sine mora. Liber ab ergastulo, postquam evaserat THOMAS, sacros suscipere ordines appetivit, Cessârunt lites, dum purissimus mysta THOMAS, intaminatam omnipotenti DEO litavit hostiã. Sumũtur ab Astronomis plurima de planetarum progressu vaticinia. Consecratus Presbyter THOMAS, ut fortunata orbi Christiano panderet auguria, nomen stelliferi assumpsit *Firmamenti*. Majorem veritatis realitatem, de Sanctissimo THOMA enarrabo. THOMAS latissimum probitatis ostium, typus modestiæ, compendium veritatis, altum creatæ Sapientiæ, norma fortitudinis & amussis Sanctimoniæ, quoties Angelica de incõprehensibili Triados Sanctissimæ formaverat argumẽta, toties intenso amoris erga DEUM accensus ardore, ad Sanctificatam Beatorum, spiritu elevabatur Hierusalem. Reticeo sponte fusum, de Virginea Corporis Aquinatici complexione cruorem, vilem ex benevolentia THOMÆ susceptum Personæ celsissimæ non revoco in memoriam con-

tem-

temptum, ferventissimam erga proximum sileo dilectionẽ, vocales Angelica doctrina repletos non revolvo codices, hoc nisi profiteor, Divinissimum THOMAM, vivam laborum fuisse imaginem manu æterni Apellis expressam. Sacrosanctas quot scripsit THOMAS de Fide qvæstiones, tot quoerelas astutiâ Buceri concitatas, à militanti removit Ecclesia, quot propositiones invenit, tot conjuratos Fidei depressit inimicos. Æstimavit Princeps Doctorum *Petrus*, Angelicam THOMÆ instructionem, visitavit Doctor Gentium *Paulus*, magna cogitantem THOMAM, amphibologicas resolvit rationes, & laudandũ Angelici Doctoris ingeniũ, millenis dignum encomijs approbavit. Motrices Intelligentiæ, non hominem THOMAM, sed naturæ æqualem Angelicæ cognoverunt. Legerat Summus Ecclesiæ Pastor *Clemens* octavus *Aquinatis* TOMOS, & proficuos animæ collegit sensus: trutinavit docta *Innocentius* 6tus THOMÆ folia, & primatũ in disciplinis præbuit. Revidit *Paulus* 5. admirãdi Professoris compendia, & Thomisticã omnibus alijs præposuit artem. Allexerunt *Alexandrum 7mum*, Angelica THOMÆ Dogmata, quæ scrutatoris tantùm placârunt animum, quantum Christianitati THOMÆ, placuit Sapientia. Admiratus Doctorum Magistri *Urbanus 5tus* Literarum præstantiam, & hanc millenis dignam elogijs proclamavit. Pavit piissimam mentem, Angelica *Pius 5tus* doctrina, eamq; dulcissimas animi dapes appellavit. Approbavit gloriosissimus Sapientum Moderator CHRISTUS istis Theologica THOMÆ Sentimenta dictis. Bene de me Scripsisti THOMA. Benedictũ bene, cælesti inscribendũ Volumini, THOMAM ab utroq; bonum manifestans. Obmutescite modo; non Condiscipuli, at *P*ersecutores THOMÆ confratres, Bovem THOMAM dicitis, cujus mugitu universus orbis, svaviùs quàm Cytharæ Apollinis concentibus recreatur. Bovem annuntiatis THOMAM, sed eruditis instructum pennis, quibus cornutã belluam, nimirum ferientem formidandis erroribus Bucerum, delevit ac proscripsit. Bovẽ digito monstratis THOMAM, qui secundũ in stellato *Firmamento* post Agnum occupat locum. Bos THOMAS cu-

jusori,oracula loqui non boare convenit. Custodit Rhadamanti leges Zvinglinus, insi deli Theologiam THOMÆ infestans dementiâ. Absorptꝰ Cerberi fauce Bucerus, rauco gutture contra Angelicũ vociferans Doctorem tolle THOMAM,& dissipabo Ecclesiam. Talparũ est splẽdẽtẽ fugere Phæbũ. fugit nõ unũ hæreseos mõstrũ,quoties in *Firmamentũ* THOMAM, irretortos vibrare oculos,anhelavit. Ita Diviniſſimꝰ Christianitatis Pædagogus *Aquinas*, lumine inclaruit Sapiẽtiæ,ut nitidiſſimũ à cũctis videretur *Firmamentũ*. Quæsit de THOMA justus operũ Remunerator CHRISTUS,quantã pro exantlatis vellet mercedẽ laboribus,Doctor D:nõ cymelia,non auri tumulos,aut thesaurorum cumulos, à peroptimo expostulavit Magistro,eum nonnisi,qui inexhaustus dicitur Thesaurus,affectavit. Ultimam *Firmamenti* revolutionẽ,quamvis quiete carentẽ,reali denuntiabo sensu,& fatuam fatorum incusabo ferociam. Habent Phosphori ferales recessus, adversi Soles, horrisonos minantur nimbos,facundi in fundo lethi morantur Mercurij,nulla dies Martis non cædibus plena existit.Implacabilẽ furiarum rabiem,imitẽ Lachesis insaniam,funereis innocuus THOMAS premitur angoribus, quæ temeritas! beatum in pectoribus THOMÆ lumen pallentibus umbris obnubilatur! quis tumor o Parcæ nemini parcentes? evanidus est iste conatus, THOMAS non tristi recessu, ast secundo ad Cælicolarũ penetralia ascensu, tollitur ut *Firmamentum*. Jure etenim merito cõveniebat, ut Sanctificatum *Firmamentum* THOMAS, nonaliò magis,quàm ad mysticum justitiæ Æquatorem declinaret. Lucet *Firmamentum* THOMAS non luget,triumphales ad infinitos applausus aperit portas,non perit cum lachrymis Arescet Lethe *Firmamento* THOMA dulci terricolas rore irrigante. Fortunatam *Firmamenti* revolutionem, ultra dum non audet imaginari animus, illustrissimos sub *Firmamento* Præd: Ord: admirabitur Splendores. Parcite Religiosissimi PP. *Firmamentum* THOMAM imbelli ore publicanti. *Firmamentum* THOMAS,tanti vestræ Personæ Dii,benigniores Planetæ observantur,quibus non pereuntes celsitudinum placent flammæ, non Scintillæ vanitatum exardescunt,at Numinis æterni amor in cordibus effervescit. Fulgent tempora vestra ut primæ magnitudinis sidera,Sudum orbi Sarmatico,claritudine *Firmamenti* inducendo. Licèt multi retrogradi,dicantur Trigonocratores, *Firmamentum* THOMAS,quotcunq; luminaria comprehendit,tot Phænomena infortunijs carentia repræsentat. Prolixiores in encõia Sacerrimæ Domûs nõ necto Thases,satis *Firmamentum* THOMAS Præeminentiã ejus& majestatẽ dimetitur.votiva potius certo prophasi,precando,ut *Firmamentũ* THOMAS,Sacro fulgore,Cymerias infortunæ dispellat noctes,& meridiẽ prosperitatis Dominicanás edoceat intueri frõtes. Volvere ergo *Firmamẽtũ* THOMA D. in æternũ!attinge velociùs,quã per quinque millia añorũ,primũ felicitatis pũctũ. Lechicus Orbis te Protegente naufragas procellarũ lachrymas,quãtocyus mutet in malaciam. Principis Petri Claves,pessimis claudant ostia fatis.Sceptrigerũ almæ Matris triumphet signum.Aperta Posnæ janua, triumphantem veneretur Fortunã: meã vero minus elegans facũdia,

THOMAM D. lumine sapientiæ. Orbem Christianum adornans,

ultima concludat voce & adoret

F I R M A M E N T U M.